



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 121. Zacharias Delphinus Nuntius a Papa ad Cæsarem ablegatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

„nuntium missuri sint, nec ipsemet Cæ-
 „sar ejusmodi obedientiæ sibi spem fa-
 „cit, itaque, reposuit Legatus, si
 „sinceræ conversionis nulla superest spes,
 „potius in pristino statu res relinquendæ;
 „minime enim expedit, quod absque
 „Synodi auctoritate tam gravis in di-
 „sciplina Ecclesiastica fiat mutatio.,,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1560.

§. CXXI.

*Zacharias Delphinus Nuntius a Papa
 ad Cæsarem ablegatus.*

Cum ergo Pontifex totam deliberatio-
 nis summam ad Germanos redigi
 haud obscure intelligeret, alium Sedis
 Apostolicæ Nuntium ad Cæsarem ab-
 legare statuit, ut juncta cum Hosio opera
 Imperatoris animum inclinaret, & Hæ-
 reticos ad Ecclesiæ finem reduceret,
 nec non Catholicos in Orthodoxa fide
 confirmaret. Ad hanc legationem ob-
 eundam selegit Pontifex Zachariam
 Delphinum Pharenssem Episcopum, qui
 hoc munere jamjam sub Julio III., &
 Paulo IV. defunctus Ferdinando perca-
 rus erat, ejusque negotia apud Pontifi-
 cem nuper vivis ereptum procurabat:
 huic igitur erat injunctum, ut maxi-
 mam Synodi Tridentum revocandæ ne-
 cessitatem exponeret, eoquod omnes
 ceteri Principes hanc urbem gratam
 haberent, ac certo certius in Germania

Pallav. c. 4.
 num. 8. &
 seq.

Sæc. XVI.
A. C. 1560.

Synodus celebrari haud posset, cum ibidem hæretici Catholicis numero, ac potentia prævalerent, possentque illi facile Patres vi compellere ad declarationem hæresi faventem, cui si Cæsar assentiretur, Principes Catholicos sibi infensos redderet, suamque salutem periculo exponeret: sin vero eidem obstitet, tunc Protestantium indignationem sibi accerferet, discrimenque subiret, ne gravioribus opprimatur bellis, ac calamitatibus, quin ullo amplius remedio ejusmodi malis occurri posset: præcipue, cum jam satis aperte liqueant consilia hæreticorum, qui unice Synodum Ecclesiæ consuetudini, ac dignitati adversam desiderant, proin si Urbs ipsis accepta seligeretur, hoc obsequendi studio tantum id fiet, ut suo schismati pertinacius insistant.

His nuntius addere jubebatur, quod bellis inter Principes ubique cessantibus Tridentinam Synodum rursus continuari omnino deceat, cum illa non nisi ob armorum tumultus fuerit interrupta: Protestantes vero, qui Concilium Tridentinum adire voluerint, omni benevolentia, ac comitate exciperentur, indeque sperandum, illorum nonnullos pacis studiosos lubenti animo eo accessuros, alios vero exhibitæ benignitatis exemplo pellectos pariter ad unionem Eccle-

Sæcul. XVI.
A.C. 1560.

Ecclesiæ reddendam concurreros: si vero Ferdinandus Cæsar venire cunctaretur, eidem Legatus exponere erat iussus, quod Hispaniæ, & Franciæ Reges longioris moræ impatientes sint, & Pontifex hujus tergiversationis periculum probe cognoscat, inde vero Protestantium audacia augeatur, cum interim Tridenti pro Catholicis, pro Augustanæ Confessionis Sectatoribus tanta & plena habeatur securitas, quam Catholici sibi promittere valent ob Cæsaris vires, necnon Cliviæ, & Bavarïæ Ducum, omniumque suæ Religionis Principum potentiam: Protestantibus vero nihil metuendum, eoquod publicæ fidei tabulis muniti in urbe ad Germaniæ fines sita morarentur, ipsisque a Pontifice promissum esset, ut perbenigne audiendi libere cunctas suas difficultates proponere possent, illisque plene satisfaciendum esset: insuper eidem Legato injungebatur, ut Cæsari significaret, quod Pontifex Ecclesiasticæ disciplinæ emendationem, quam Cæsar petit, maximo studio ipse exoptet, seque ceteris priorem corrigere paratus sit, ut suo exemplo ceteros excitet: nunquam tamen melius quam in ipso Concilio hoc negotium perfici possit: ut vero cuncta prava consilia, quæ nonnulli humanis duntaxat rationibus, car-

Sæcul. XVI.
A C. 1560.

nisque prudentia ducti Cæsari suggerere possent, ab ejus animo removerentur, hinc Delphinus insuper hæc addere tenebatur, quod satius foret ad conservandum in Austriaca familia Imperium, Catholicis, quam Protestantibus adhærere, cum hoc posteriori modo, etiamsi ejus filius eligeretur, non tamen ejus electionem probaturus esset Pontifex, nec fortasse Catholici, nec in primis Ecclesiastici Germaniæ Principes, qui de alio sibi Romanorum Rege prospicerent, præsertim cum Septemviri hæretici, tametsi potentia, non tamen numero præstarent Catholicis; in electione autem suffragia numerentur, non autem vires eligentium expenderentur: si vero Cæsar hisce rationibus haud aquiescere, ac Synodum Tridenti celebrari recusaret, Nuntius modeste admodum eidem significare in mandatis habebat, quod citra divinam offensionem necessitati, votisque ceterarum nationum, quæ novis hæresibus perturbatæ periclitantur, deesse Pontifici non liceret, ac proinde si cedere renueret, summus Pontifex in alia quadam Italiæ urbe Synodum coacturus esset: de cetero autem obsecraret Cæsarem, ut suos certe oratores ad eam mittere velit: denique, si Cæsar adeo obduresceret, ut cuicumque
 seu

seu Tridentino, seu in Italia Concilio re-
pugnaret, vehementerque præter mo-
rum emendationem sibi etiam concedi
præfatos duos articulos de usu calicis,
& Sacerdotum matrimonio deposceret,
tunc Pii IV. jussu Nuntius Cæsari re-
spondere jubebatur, quod decentiæ
legibus repugnet, ut Pontifex ejusmodi
res concedat absque consensu, & sen-
tentia omnium Nationum, cunctorum-
que Principum Christianorum, ad quos
hi articuli spectant.

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

§. CXXII.

*Cæsar datis ad Papam literis Syno-
dum Tridenti celebrari
consentiens.*

Enimvero hic Nuntius sua legatione
non sine prospero successu defunge-
batur; quippe Cæsar die decima septi-
ma Octobris ad Papam literas dedit,
in quibus generatim dilaudato pio Pon-
tificis consilio de convocanda Synodo
difficultates, quas illi in Triden-
tina urbe indicendæ obstare arbitra-
tur, repetebat, nihilominus tamen
cujuscunque urbis electionem Pontificis
arbitrio, prout ipsi bene visum fuerit,
relinquebat. Has literas Pius IV. Mas-
sarelum, qui Synodo a secretis erat, in
pleno Purpuratorum consensu recitari
jussit, censuitque etiam Cardinalium
sen-

*Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 14. c. 17.
n. 1. & seq.
Diar. Conc.
17. Octobr.
1560. apud
Burghes.*